

De
Cura ad Studio Perseum
in adolentibus.

Q. B. V.

ALIQVOT VICIBVS PERORATVRIS,
 SVMME REVERENDE ET MAGNIFICE ANTISTES,
 PATRES, PATRONI ET FAVTORES,
 AMPLISSIMI, DIVINI HVMANIQVE IVRIS
 CONSVLTISSIMI, NOBILISSIMIQVE,
 NONNVLLIS, DE SCHOLA NOSTRA,
 BONAE MENTIS ET DOCTRINAE, IVVENIBVS,
 AVDITORES VOS PROPITIOS
 AC INDVLGENTES,
 PRECE DECENTE AC IMPENSA,
 CORROGAT
 VESTER

M. SAMVEL MOLLERVS, RECTOR.
 A. S. clō lō cc XLII. D. VII. CAL. FEBR.

FREIBERGAE,
 LITERIS CHRISTOPHORI MATTHAEL

Hist. miscell.
 A. 86,10

BEne res omnis agitur, si in quibus mens, ratio, experientia & consilium est, exactis vitæ muneribus, sua senibus habeatur reverentia: si illis, qui laboribus, pro patria susceptis, distringuntur, & iisdem quasi nutriti, auferuntur, honores ac præmia destinantur: sique demum ætas adolescens, utrorumque disciplina, prudentia & exemplis constituta, discat, imitetur, atque, ad utilia & honesta quævis molienda & perpetranda sese præparet atque accingat. Sic enim, ubi aliorum & vita, & egregiorum operum cursus extinctus sit, vel aliorum, non cum iisdem ad metam adductis, per fata præmatura, cesset opera: tamen istorum eo minus curæ desiderabuntur, quo sollicitius ea, quæ in herba mesis est, culta fuerit & curata. Hac enim sola ratione nixa est posteritas; nec defunt etiam, si rem bene ponderemus, ejus subsidia & adjumenta. Coelesti quodam munere adolescentibus prospicitur; conditor istos O. M. tanquam plantas in fulco meliore positas, rigat, ut arbores fiant, quarum ad omnes deinde fructus perveniant. Quas ipsi de se spes faciunt, concitant gratiam; orbitas eorum, vel paupertas, elicit misericordiam; modestia benevolentiam juvandique studium; & quam omnes spectare debeant, salus non privata magis, quam publica, ne isti, qui hanc olim procurare possint, deserantur, auxilia suadet, imo præcipit. His sane temporibus nulla prior, nullaque antiquior illis, qui rebus præsumunt, cura est, quam ut, huic, quæ crescit, & profutura in posterum est, ætati consulatur: sed jam olim quoque, egregio illud exemplo, factum est: quod & hi, qui postea imperarunt, secuti sunt, ac porro imperaturi, sibi per manus traditum, imitari debeant. His, qui in fago, inque castris, tanquam domi suæ, nati erant, a Macedonum regibus alimenta pueris constituta, & juvenibus instrumenta armorum equorumque data sunt. Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia eorundem traxerunt, quorum pueritia inter varias expeditiones erat militia. Sic & veteranis patribus, a parvula ætate, periculis laboribus indurati tirones, quasi invictus exercitus, quique non solum tirocinia, verum & incunabula, in ipsis castris posuissent, successerunt. Justin. L. XII, c. 4. Romanis pariter, in toga cumprimis, iusta curæ cordique erant matrimonia. Hinc Ciceronis edictum erat: *coelibes esse, prohibentis: ac leges ipsæ, tam Julia, quam Papia, multa istos notarunt: contra vero parentes, quibus numerosior erat soboles, quod ex ista fundamenta reipublicæ, seminarium juventutis, & quasi fons humani generis esset, præmiis ornarunt. Quibus ut eo libentius parerent cives, non hi minus, quam ipsis geniti; suis affecti sunt beneficiis. Gaudebant isti, quibus tres erant liberi, hac prærogativa, ut, in dignitatibus & muneribus, istis anteponebantur, qui carerent sobole: ipsi autem liberi congiario donabantur, quod quidem Augustus minoribus æque ac majoribus impertivit. Hoc enim Suetonius testatur, capite 41, Congiaria, inquit, frequentes dedit, ac ne minores quidem pueros præterit, quamvis ante non, nisi ab undecimo anno accipere consueverat. Paulo minus quinque millia ingenuorum fuerunt, quos Trajani liberalitas, conquirit, invenit, ascivit, subsidiumque bellorum, ornamentum pacis, sumptibus publicis aluit, quo patriam, non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscerent. Nec magnus satis hic videri poterat numerus, quem allegat Plinius cap. 28. Panegyrici, nisi *ingenuorum* dixisset: quod non tam liberos & libertos, quam ingenuos modo, & sanguinis purioris, ex quibus miles, ac alibi utiles cives, quibusque deinde vel gratuitis alimentis non opus esset, exciverat. Atque isto tempore solemne magis factum est, hoc ad ætatem adolescentem, quo non pueri saltem, sed puellæ quoque sustentabantur, conferre beneficium, quibusque *Alimentariis* nomen hinc factum est. Laudi duxerunt sibi autores benefacti, hoc munere celebrari; rei autem ipsius memoriam magis perennaturam esse statuebant, si tam pueri isti, quam puellæ cognomen de se referrent. Verbis suis id prædicat Spartianus, in Hadriano, quod utrisque illis Imperator his, quibus jam Trajanus alimenta detulisset, incrementum liberalitatis adjecisset. Capitolinus vero in Alexandro Severo laudat, quod puellas & pueros, quemadmodum Antonius Faustianus, ita iste Mammæanas & Mammæanos, instituisset, *Alimentarios*. Allegat hac de re geminam inscriptionem, Belgarum olim Decus, Philippus Rubenius, Elect. Libro II, c. 36,*

IMP.

IMP. NERVAE. TRAI. AVG
GERM. P. MAX. TRIB
POTEST. COS. III. P. P.
NOMINE. PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P

T. AELI. HADRIANI
ANTONI. AVG
PII. PONT. MAX
TRIBVNIT. POT. XIII
IMP II. COS. III. PP.
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI

Paulus inde, illis fere coævus, qui, quod princeps sui erat ordinis, Iuris consultus ea propter dictus est, hanc in laudatissimis operibus provisionem collocavit, de legatis ita locutus: Civitatibus, inquit, legari potest etiam, quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet. Ad ornatum: puta, quod ad instruendum forum, theatrum, stadium, legatum fuerit. Ad honorem: puta, quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses, relictum fuerit. Hoc amplius, quod in alimenta ætatis infirmæ, (senioribus, vel pueris puellisque,) relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere, respondetur. Neque in alimentis solis ea continebatur liberalitas: quicquid enim soboli debetur, illud alimentariis pariter datum est, ita, ut præter cibaria, vestimenta etiam, habitatio ac institutio eo referrentur, sumtu vel ex ærario fiscove, vel e privatorum donis atque legatis accepto. Aemulus tam augustæ munificentiae Plinius etiam Secundus extitit, qui, sive doctrinam spectes, sive alimenta, ad subsidia in utramque partem erat paratissimus. Patriam ille Novum Comum, Italiae Transpadanae oppidum, nactus erat, mediocre olim, sed per Pompejum Strabonem, Magni patrem, perque Cn. Scipionem, & postea per Iul. Cæsarem multis colonorum millibus auctum, atque a Plinio ipso modis innumeris ornatum. Illud ipse suas appellabat delicias; hic suas, secedens, abstergebat curas; mores civium, ad fidem antiquam formatos, comprobabat, bibliothecam hic dedicaturus, sermonem habebat gravissimum, ultimumque his beneficiis cumulum additurus, ut schola etiam sua Comum illud gauderet, parentes ad eandem constituendam adhortabatur, atque ipse, qui nondum liberos haberet, pro republica, quasi pro filia, vel parente, tertiam ejus partem, quod illis conferre placeret, suppeditare promittebat. L. IV. ep. 13. Nec tamen in his illud, ex quo maximam percipiebat voluptatem, benefaciendi studium acquievit: quare etiam, ludorum & gladiatorum contemtor, illud, quod longe præstantius, magisque perpetuum esset, elegit. Pro quingentis, inquit ipse, millibus numum, quæ in alimenta ingenuorum ingenuarumque promiseram, agrum ex meis, longe pluris, auctori publico mancipavi: eundem vectigali impolito recepi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim reipublicæ fors in tuto, nec reditus incertus, & ager ipse, propter id, quod vectigali large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet. Nec ignoro, me plus aliquanto, quam donasse videor, erogasse, cum pulcherrimi agri pretium necessitas vectigalis infregerit: sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre, multoque diligentius muneri tuo consulere, quam facultatibus. Libr. I. ep. 8. VII, 18. Morum in his, primum, qui huius munificentiae fructum essent percepturi, ne autoribus indigni essent, habita fuit ratio; hinc literarum, & cum his, quæ ad mulcendos, deliniendosque animos multum valet, musices. Cujus vero si qui alii periti essent, in primis tamen tales olim Alexandrini fuerunt: in quibus & jam museam, & doctores constituti a Ptolemæo Philadelpho erant eruditissimi, qui publico sumtu in urbe ista, quæ ad colenda ornandaque bona studia & ingenia omni ex parte condita & instructa esse videbatur, lautius alebantur. Istorum captus modulatis laudationibus, qui de novo com meatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit Nero, Suet. cap. 20. Et Iulianus, infelicissimus Christiani coetus ac nominis desertor & hostis, musicos eandem urbe natos, quanto sibi opere conjunxerit, testatur ejus epistola LVI, ad Ecdicium, Aegypto præfectum, missa. Si qua res est, ait, studio nostro curaque digna, ejusmodi esse sacra musica videtur. Tu igitur ex Alexandrinorum populo delectis bonæ indolis adolescentulis, menstruas in singulos artabas duas erogari

gari præcipe, nec non oleum, frumentum, & vinum, vestem porro præbebunt æra-
rii præfecti. Atque illi interim ex voce conscribantur. Quodsi aliqui perfecte ar-
tem illam consequi potuerint, sciant haud mediocria sibi laboris illius præmia, et-
iam a nobis esse constituta. Nam quod, citra nostra illa præmia, non mediocrem
fructum divinæ ope musicæ ex animorum suorum purgatione percepturi sint, per-
suadent illi, qui recte hac de re statuerunt. De pueris igitur ita præcipimus. Iam
vero, quod ad musici Dioscori discipulos attinet, fac & artem studiosius addiscant.
Nos enim ad illos, quacunque in re voluerint, juvandos parati sumus. Quæ itaque isto-
rum beneficiorum adhuc conservata est memoria, illam quævis, & in futurum, custo-
diet ac tuebitur posteritas. Sed de *alimentariis antiquis* hæc præfati sumus, quan-
do, DEO sibi propitio, veniaque & favore vestro, Patroni, discipuli quidam nostri,
gente, more atque ingenio conspicui, publice, Vobisque Arbitris, ætati suæ indul-
gentissimis, velint dicere. Quilibet istorum loquendi sibi materiam ex Imperato-
rum symbolis sumserunt, eamque suo Marte elaboratam sermonibus suis explicatu-
ri sunt. Initium facient alii, aliique per intervalla succedent. Singulis æque ac u-
niversis nostræ disciplinæ alumnis divinam apprecamur gratiam, perque eandem,
quibus patria, parentes, præceptoresque lætentur, cum virtutum omnium, tum stu-
diorum incrementa exoptatissima,

Exponet Davides Albinus Hungerus, Symbolum	Neronis,
Freibergens.	<i>Artem quævis alit terra;</i>
Ioann. Godofr. Richterus,	Othonis,
Lichtenbergens.	<i>Unus pro multis;</i>
Ioann. Andr. Jacobi, Koenig- steinens.	Trajani,
Christian. Gotthold Gellertus,	<i>Qualis Rex, talis grex;</i>
Hainichens.	Septimii Severi,
Gottlob. Frideric. Holzmüller,	<i>Laboremus;</i>
Oder. cum plausu abiturus,	Domitiani,
Ioann. Christoph. Leuschner,	<i>Fallax bonum regnum;</i>
Galentianus,	Alexandri Severi,
Christian. Frider. Ihlius, Wol- ckenstein.	<i>Quod tibi, hoc alteri;</i>
Christian. Scheumannus,	Maximini,
Colmnicens.	<i>Quo major, eo laboriosior;</i>
Imman. Friedlieb Antonius,	Pupieni,
Saidens.	<i>Qui timetur, timet;</i>
Ioann. Eberhard. Flachs,	Balbini,
Liebstadiens.	<i>bonis nocet, qui malis parcit;</i>
Georg. Christian. Ritterus,	Galli,
Tschopaviens.	<i>nemo amicus, & adulator;</i>
Ioann. Christoph. Hezelius,	Aureliani,
Olbernhauens.	<i>quo major, eo placabilior;</i>
Samuel Petrus Grafius,	Taciti,
Rosvinens.	<i>sibi bonus, aliis malus;</i>
Christian. Carolus Eccartus,	Numeriani,
Bockendorf.	<i>esto, quod audis;</i>
Gottlob Schwithal.	Diocletiani,
Oederan.	<i>nihil difficilius, quam bene imperare;</i>
	Constantini Chlorig,
	<i>virtus, dum patitur, vincit.</i>

CICERO, pro Cn. Plancio :

*Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque
doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum grata
recognitione, in mente versetur?*